DE

FAVO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

OB SUMMOS IN MEDICINA

CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA HONORES

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

GRYPHISWALDENSI

DIE VII MENS. JUNII ANNI MDCCCLXVI

IN SE COLLATOS

EDIDIT

AUCTOR

DR. CAROLUS MICHEL,

RHENANUS.

GRYPHIAE.

TYPIS FRIDERICI HACHE.

FRATRIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

NEC NON

VIRIS DOCTISSIMIS

DR. THELEN ET DR. KLEINHANS

MEDICIS PRACTICIS

SOCERIS AMICISSIMIS.

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Prima hujus dissertationis causa fuit, quod in clinicum Ill. Prof. M o s l e r die vicesimo secundo mensis Martii aegrota, quae singulari modo favo affecta erat, recepta est.

Morbus quum et tempore et sede praecipue in extremitatibus inferioribus, singularis rarissimusque videretur, statim de eo disserere coepi, sed rebus bel-

licis, quominus quae scripseram statim publicarem, impeditus sum. Interim haud alienum esse arbitratus sum, etiam nunc paucis de illo morbo exponere. Ceterum vide „Berliner Klinische Wochenschrift d. XV. mens. Octobr. 1866“.

Tavus — Tinea vera — Porrigo lupinosa — Teigne faveuse — Erbgrind — morbus est jam antiquissimis temporibus notus, cujus clinica symptomata sunt: crustae, sedes autem in cute pilosa, praesertim capitis, maxima pertinacia et alia.

Sed usque ad saeculum undevicesimum medici frustra operam dederunt, causis hujus morbi investigandis.

Schoenlein, vir summi ingenii, qui plurimum in arte dignoscendi praestitit, etiam de hoc morbo optime meritus est.

Primus enim demonstravit, farum non nasci humoribus malis, sed morbum esse certis locis inhaerentem, profectum a parasito vegetabili, cui nomen dedit „Oidii". (cf. Müllers Archiv 1839. pag. 82.)

Postea multi docti homines studio hujus morbi incubuerunt, velut Gruby, Remak, Lebert *) Basin **) etc. quorum scripta de hae re in uno conspectu posita sunt in opere Robin, quod inscriptum est: Histoire naturelle des vegetaux parasitaires.

---

*) cf. Patholog. Physiologie.

**) cf. Leçons theoriques et cliniques sur les affections parasitaires.

Hic invenitur nomen „Achorion Schoenleinii“ propositum a Remak et Link. Praeter *) Cazenave, qui pustulosam esse favi naturam etiam nunc contendit, neminem esse puto, qui parasiti vegetabilis germinationem causam hujus morbi esse neget.

Longum est naturam hujus fungi, qualem microscopio videmus hoc loco acuratius describere, satis habeo brevem descriptionem fungi dare, quam invenimus in „Dr. Kleinhans Compendium der Hautkrankheiten“ Erlangen 1866.

Mycelium hujus fungi constat simplicibus vel ramosis, curvatis filis, quae neque internodia faciunt neque parietibus, ut ita dicam divisa sunt.

Ex his longa, larga, filata receptacula fiunt, quae membra ordinesque spororum faciunt. Spori sunt rotundi vel ovales, singuli aut plures oriuntur et ordines filorum formant e quibus Mycelium gignitur. Hic fungus invenitur in altioribus epidermidis partibus, in vaginis radicis pili et in scapo pili; crustas gignit instar patulae, ut nos dicimus „tellerförmig“ flavas vel sordibus fulvas, siccas, fragiles, quibus constat portio exterior granulosa et interior, cui maxime nomen fungi tribuendum est. In cujus exteriore parte est Mycelium, deinde receptacula, denique spori.

Aetiologia.

Primam morbi causam jam in exordio diximus esse germinationem parasiti vegetabilis e genere fungorum, cui nomen Achorion Schoenleinii; quod verum esse experi-

---

*) cfr. Traitè des maladies du cuir chevelu.

mentis Remak *), Bennet **), Deffis ***), Koebner †), Hoffmann etc., qui favum in homines, animalia, fructus etc. transtulerunt, demonstratum est. Nec infirmat opinionem nostram, quod plurimae inoculationes favi frustra fiunt; nam si forte fungi translatio non acurate facta est, crescendi conditiones favo non in omnibus corporibus adsunt, quare successum nullum esse, non admirandum est. Itaque morbum doctissimi homines contagione acquiri consentiunt; (eum autem esse hereditarium usque ad hoc tempus non certe demonstratum est.) Contagio utrum intercessione aeris, in quo inumerabilia quidem fungorum semina suspensa sunt an communi usu tegumentorum capitis et mantelium etc. efficiatur, omnino non facile dijudicari potest: hoc autem certum est fungum in omnibus locis nasci, ubi germinandi conditiones datae sint. Multi sunt, qui dicant favum esse fungum, qui in cute sola crescere possit, sed experimenta Remakii et Hoffmanni (Giessen) quorum hic favum in ovis, ille in pomis germinare fecit, hanc conjecturam refutarunt.

Non praetermittendam esse Hebrae opinionem censemus, qui contendit, formae differentias morborum cutis, qui fungo oriuntur, non genere specifico fungi sed et variis morbi stadiis et sede varia epidermidis aut crinium constitui; quum ceteri unicuique morbo cutis a parasito profecto,

*) cf. Medic. Zeitung vom Verein für Heilkunde und pathogenetische Untersuchungen.

**) cf. Northern Journal of Medicine for September 1845.

***) cf. Cours de sémiotique cutanée.

†) cf. Clinische und experimentelle Mittheilungen aus der Dermatologie. Erlangen 1864.

propriam fungorum speciem attribuant. Alia, quae favum adjuvat causa, negligentia cutis est, quum accurata munditia, ne fungus latius germinet, impediatur.

Quare apparet, quibus de causis, hic morbus infantes hominum de infima plebe, qui immunditia, insalubribus domiciliis utuntur maxime vexet.

Robinus autem non nisi specialis dispositio individui adsit, hunc morbum nasci opinatur. —

Symptomata et progressus.

Favus in cute pilosa reperiri solet, ac rarissima sunt exempla, quale nostrum e policlinico.

Ill. Mosler, ubi formatio fungi in inferiores etiam extremitates se extendit.

Quum morbus nascitur, primum vehemens pruritus observatur, saepe cum brevi eczemate vel vesiculoso, vel pustuloso, vel erythematoso. Tum in aegrota cute aucta et in parvis squamis sublata epidermis conspicitur, quarum plurimae pilis percussae sunt. Sub squamis parva flava puncta sive grana vides in cutem paulum immissa. Quae grana e luxurie fungi favi cujus interiorem naturam microscopicam in exordio dissertationis descripsimus, oriuntur et spori fungi sunt, qui in foraminibus, infundibili similibus, folliculorum pilorum nascuntur et epidermidem pilum circumjacentem sustulerunt. Quae grana magis magisque crescunt et nisi in progressu aliis vicinis efflorescentiis impediuntur crustae rotundae, instar patulae poculique existunt, quae parte inferiore convexa et tenuissima in foveam cutis atrophicae immissae sunt, et in parte su-

periore concava et ampliore marginem paulum editum et impressionem centralem habent.

Saepissime favi tabulae, ut ita dicam, inter se confusae, crustas cohaerentes magnas efficiunt, quae velut tegumentum totum caput involvunt et aspectum favorum apium praebent, unde etiam nomen „Favus" ducitur. Quod autem ad formas pertinet, quae extensione fungi materiae in altitudinem sive latitudinem fiunt, ab aliis alia sunt prolata nomina ut: favus suberinus, achatinus, porrigo scutulata (Fuchs); Tinea favosa, urceolaris, scutiformis, squamosa, (Bazin). Materia singularem praebet odorem, qui ab his felium urinae, ab illis murium, ab illis paludis similis putatur. Capilli in ea parte cutis, quae morbo affecta est, primum exsiccantur, splendorem amittunt et diffringuntur, tum murium colorem accipiunt sive fulvum sive pallentem, denique decidunt et quum folliculi pilorum serius ocius obliterentur non iterum crescunt. Si favus in corporis parte non pilosa oritur, post aliquot hebdomades solvitur, decidit et procedere nequit. Interdum cutis per aliquod tempus rubra et dolens et tecta est multis foveis, quae brevi tempore implentur atque in quibus favi materia fuit immissa. In cute capillata favi efflorescentiae inhaerent firmius, manent autem haud diu. Crustae cum deciderunt, cicatrices albae et depressae manent, nam loca atrophica impressione crustarem facta non adaequantur. Neque, ut supra jam diximus, in aegrotis locis crines renascuntur — corpus atrophicum papillare tenuem modo epidermidem facit — quare in capite per totam vitam remanent loca calva, levia et impressa.

Complicationes minoris gradus in omnibus favi varie-

tatibus reperimus cruptiones impetiginosas et eczemetosas, quae originem trahunt aut a parasitis in cute praesentibus aut ab adhibitis remediis acribus aut ab animalibus parasitis — ut a pediculis, quibus efficitur, ut aegroti saepe se scabant.

Complicationes graviores sunt tumores glandularum diuturni et difformes in regione submaxillari et parotidea, itemque phlegmonae, quae efficiunt abcessus, pericranium destruunt, ossaque nudant.

Tempus morbi variat.

Medicamentis non adhibitis inter decem aegrotos novem usque ad calvitiem completam progrediuntur, ita ut nihil nisi capillorum deletio morbi finem faciat. Quum ars mali progressum retardare sciat, sanatio favi spontanea omnino quidem fieri potest. attamen rarissima est.

Neque illud omittendum est, morbum semper fere sequi alterationem unguum ab eodem fungo profectam. Nam cum aegroti saepe caput scabant, fit, ut nonnullae particulae fungi sub unguem inducantur, ubi molles epidermidis cellulae favent morbo.

Bazin auctore unguis primo apparet crassior, tum sordidam et subfuscam materiam vides, unguis flavescit, evanescit et post aliquid tempus perforatur.

Ill. Remak primus Achorii Schoenleinii elementa in substantia unguis inesse demonstravit, tum Meissner, Virchow, Poettner, Kleinhans aliique fungum accuratius descripserunt.

Diagnosis.

Olim diagnosis favi difficillima erat et saepe alia

eczemata favum esse crediderunt — nunc autem multis acuratisque observationibus satis signorum data sunt, quibus diagnosis dilucide fieri potest.

Bazin auctore tria indicia observanda sunt.

I. Primum crustae favi earumque signa:

Hae crustae siccae et cohaerentes sunt incrustationes, quae colorem habent flavum sulphuris colori similem, parvos aut magnos cummulos facientes, quos si frangas, pulverem vel granula accipies. Odorem dicunt, similem esse odori murium, sive urinae felium, sive ei quem paludes exhabant. Solus autem odor non satis certum criterion est, quo diagnosis fieri possit, quum ea, puae naribus cognoscimus nimis incerta et vaga sint (Bazin). Quod verum esse nemo certe negabit, quum ex sola eczematis odore haud facile quisquam certam diagnosim facere possit.

II. De crinium mutatione et de calvitie.

Haec momenta maximi sunt aestimanda, quum fere semper existant neque unquam omnino desint.

Crines morbo affecti, a sanis eximie differunt, sunt sicci flavi, colore cineris, fulvi; saepe etiam inveniuntur lanuginosi, torti et fracti et minimo tractui cedunt. His crinibus, qui facillime extrahi possunt, contingit, ut demonstretur scapum crinium aut omnino deesse aut, si morbus jam longior fuit, hypertrophycum apparere. Ubi crustae deciderunt atque remotae sunt, tamen diagnosis fieri potest; nam aut cutis sub discis rubra, mollis, foveis innumerabilibus praedita, aut tenui epidermidis lamella tecta, aut quum jam rubor desiit, cicatrices parvae, albae, depressae in capite quidem morbus designant.

III. Cognitio microscopica.

Quum adhuc summo adhibito studio nondum contigerit, ut accuratius morbum cognoscamus, quia affectionis indicia non satis manifesta sunt, microscopii auxilium adhibemus, quod hic, ut saepissime in medicina nos statim ad morbi cognitionem perducit. Si re vera agitur de favo neque in crustis neque in crinibus elementa singularia Achorii Schoenleinii sub microscopio desideres.

Quod attinet ad diagnosin differentialem duae morborum cutis species praetermittendae sunt.

I. Eczema et Impetigines, quae ab auctoribus francogallicis etiam Pseudo-Tineae humidae nominantur.

Quarum crustae nigriores, etiam fuscae sunt, nitidae apparent quasi vernice illitae. Si eruptiones, ut fieri solet, in conchae auris interioribus partibus apparent, aut humentes inveniuntur, res non jam dubia est. Etiam crines in constituendo morbo signa praebent certissima quum neque formam neque colorem ut in favo mutent; semper fere quasi luto obliti inter se cohaerent et tractui non magis cedunt, quam crines sani.

II. Psoriasis et Pityriasis — Pseudo-Tineae squamosae.

Crustae non tam crassae sunt et hanc ob rem minus exstantes quam favi; colorem praebent magis album, aspectum lamellosum, non tam firme cuti et crinibus adhaerent et eruptiones maxime etiam alia loca atque capitis cutem aggrediuntur. Crines non afficiuntur neque calvities facile timenda est.

Prognosis.

Vera morbi causa nondum cognita cum diversissimis remediis uterentur prognosim maxime dubiam fuisse apparet. Et vidimus prioribus temporibus aegrotos lente et doloribus cruciatos morti tradi, quae res tempore morbi, depressione animi, fortasse ex variis medicationibus acribus intelligitur.

Quare licet hic et ille favus therapiae nostrae resistat et interdum recidat, tamen propter multitudinem eorum, qui plane sanantur, quoad valetudinem completam prognosim faustam esse optimo jure dicemus, ea autem, quae est ad vitam, nunc non jam respicitur.

Nemo est, qui non intelligat, in prognosi et tempus quaerendum esse et, quo usque affectio progressa sit, nec minus umiversae quoque valetudinis ratio habenda est.

Therapia.

Prophilaxis erit et morbi sedes quam celerrime delere et videre, ne quis eodem loco versetur. Quam ob rem omnes aegroti quantum fieri potest ab hominum consuetudine removendi et curae atque diligentiae medicorum tradendi sunt: inprimis in scholis, fabricis, orphanotrophiis, ergasteriis etc. celerrime talia adhibenda sunt. Neque minus commendandum est ut homines favo affecti publicae hygienae tradantur.

Quod attinet ad therapiam, antiquis temporibus, quibus sola empirica salutem afferebat, adhibitam, illud Ambroise Paré probabimus dicentis: „Recentem tineam favosam sanare difficile est, inveteratam nunquam sanabimus“.

Longum est de omnibus illis methodis hoc loco uberius disserere; nonnulla ergo breviter dicta sufficiant.

Favum quum dyscrasia praecipue scrophulosa orir putarent, (Fuchs) therapia maxime spectabat meliorem corporis nutritionem. Dabant oleum jecoris aselli, iodum, ferrum iodatum (Fuchs), folia juglandis, ferrum, balnea salina et maritima.

Therapia localis studebat materiam aegrotam destruere et folliculos crinium alterare.

Praeter galeam piceam, qua plerique utebantur, pulverem epilatorium adhibebant, (Willson) ne jam in folliculis favus nasceretur; cutis lavabatur solutionibus hepatis sulphuris, calcareae hyperchlorosae, hydrargyri bichlorati corrosivi, acidorum mineralium, acidi pyrolignosi, alcalium, jodi; aut unguenta e zinco, iodo, alumine, mercurio praecipato albo, creosoto, pice liquida praescribebantur. Infantibus atque in morbo invèterato, ne malum nimis celeriter opprimeretur, medicatio fonticulis institutis incipiebatur; in conjestionibus ad caput hirudines post aures, emplastra vesicantia in cervice adhibebant. Opinio erat, si subito a cute pelleretur favus, convulsiones, hydrocephalum acutum, tuberculosim pulmonum et ipsam mortem sequi posse.*)

Praetermissis falsis de favo sententiis et therapia ab illis profecta, tamen nonnulla remedia utilia erant et pestifera fungo. Sed in superioribus tantum partibus tollebantur et spori, quibus fungus nascitur, intus remanebant in crinis radicibus et folliculis. Mahones fratres, Parisii, primi, quamquam inscii, rectam viam ingressi sunt, quum praeterquam quod ungenta ex Natr. bicarb. et calcio (pul-

*) Handbuch der medicinischen Klinik von Dr. Carl Constatt. Erlangen 1864.

verem epilatorium) adhibebant, digitis quoque epilationem accuratissime instituerent; itaque plurimos homines a malis liberaverunt. At vera tandem favi natura et parasiti in interiores crinis regiones diffusione cognita therapiae data est basis scientiae itaque faustissimi, constantes eventus.

Nostra igitur therapia ante omnia id agit, ut fungus omnino removeatur, quod fieri non potest nisi epilatione accuratissima, nunquam antiparasiticis, quae dicuntur. Inflammationem cutis parasitis factam et universam aegroti valetudinem respiciendas esse nemo ignoret. Epilatio antequam instituitur, crines tondentur, crustaeque removentur. Quae manipulatio adjuvatur pingui infricato (Bazin utitur oleo Kadino alii sapone ol. Kadini), quibus crustae molliuntur.

Accedunt cataplasmata et lavatio capitis peniculo et sapone facta. Deinde epilatio fieri potest, cujus complures sunt methodi. Veterrima eademque crudelissima omnes capilli eripiebantur galea picea (calotte). Emplastrum paratum ex pice, cibario, aceto, capiti imponebatur, et cum adhaereret per vim detrahebatur. Quod, omissis doloribus, non satis tutum est nec nostris temporibus usurpatur, praeter quam in nonnullis Galliae partibus. (Bazin). Singulos crines digitis extrahere methodus erat Mahonum fratrum Parisinorum. Opus est ad hanc rem et usus et tempus, ac saepe certe fieri non potest. Omnes fere utuntur methodo epilationis pinceola ciliari institutae, quae facillima est. Quod licet non sine doloribus fit, tamen omnibus ceteris methodis anteponendum est. Dolor haud ita acer est, aegroti facile ei assuescunt et hujus tantum me-

thodus eventus constat. Patientia quidem aegroti et medic[i] poscitur.

De usu pinceolae brevi hoc dicamus: Chirurgus et aegrotus cum in positione quam commodissima sunt, pollice et indice alterius manus loci a crinibus liberandi distrahuntur et pinceola in altera manu crines secundum situm, si fieri potest, singuli eripiuntur. Quod fit, ne capilli supra epidermidem abrumpantur criniumque radices cum sporis fungi relinquantur, tum vero, quod haud magnum dolorem affert. Prima epilatio, ut supra demonstravimus, remotis crustis incipit.

Crines aegri excellunt colore pallente, siccitate, colore obsoleto, faciliusque extrahuntur. Epilatio per nonnullas hebdomades, quin etiam duo vel tres menses sustinenda est, donec nulla jam recidiva appareant. Multi post epilationem lavari aegrotos jubent rebus acribus, maxime solutione hydrargyri. bichlor. coriosivi (Bazin) et hoc fieri oportere putant, ut spori nondum exstincti plane deleantur. Veiel pro sublimato acidum aceticum, et hanc compositionem Dessault commendat:

Rcp. Hidrarg. bichl. corros.
Cup. acet. an gr. VIII.
Aq. dest ℔ II.

Aliquot horis post epilationem Bazin et alii praecipiunt, ut infricatur caput unguento ex oleo cadino,

Rcp. ol. cadini ʒβ.
Adep. suill. ℥β.

aut ex turpetho minerali,

Rcp. Turpeth. miner. gr. VI.
Ol. Amygd. dulc.

Glycyrrh. ān ʒβ.

Adip. suill. ℥β.

In ejusmodi therapia tres aut quattuor epilationes in spatio sex circa hebdomadum accurate adhibitae satis esse dicuntur, (Bazin) quae instituuntur ubi ruber cutis vel etiam favi tabulae apparent. Aegroti videlicet aliquod tempus visendi sunt, ut, si quid forte recidivi sit, cura rursus suscipiatur. Quae therapia eadem in favo capitis atque totius corporis.

Reliquum est, ut ungues favo captos contemplemur.

Ungues lima levi deterendi sunt donec ad stratum fuscum fungi veniamus, quod acribus rebus (solutione sublim. etc.) diruendum est. Veiel in cura posteriore unguento e praecipitato albo aut si squamae epidermidis continuo decidunt, infrictionibus picis liquidae utitur.

Historia morbi.

Aegrota, vidua, nomine D., quadraginta quinque annos nata matrem habuit prospera valetudine usam, patrem autem tuberculosi pulmonum et arthritide laborantem. Insuper autem in aversa parte capitis eczemate affectus erat, quo efficiebatur ut crinibus privaretur, idque durabit usque ad sexagesimam tertium annum, quo mortuus est

De fratribus sororibusque puerilibus jam annis mortuis nihil habet, quod dicat.

Aegrotam nostram jam primis vitae annis eczemate capitis affectam fuisse mater ejus tradidit, quod simile fuit ei, quod nunc videmus. Nemo aegrotam curabat, praeter matrem ipsam, quae nil faciebat, nisi crustas removebat aegrota-que loca sapone lavabat, ex quo aegrota

nostra crines, quorum copia antea magna fuerit et coloris subflavi, paulatim evanuisse et albidiorem colorem praeduisse putat.

Praeterea aegrota vehementi pruritu et doloribus capitis, tumoribus quoque glandularum cervicalium, oculorum inflammatione conjuncta cum levi caligine et saepe tussi vexabatur. Notum est symptomata paulo ante relata certissima signa scrophulosis esse, quare fortasse sunt, qui putent, eczema, de quo tum agebatur, nihil aliud fuisse, quam scrophulosum, sed quae sequuntur aliud nos docent. Nam quum plurima scrophulosis symptomata aetate pupertatis evanuerint aut nihil remanserit, nisi tenuis et ad multos morbos disposita constitutio, eczema in capite aegrotae nostrae, quum pubesceret, in dies auctum est, ita ut quinto decimo anno jam frontem contegeret. Quibus rebus jure censebimus, eczema, quo usque ad hoc tempus aegrota laboraverit, nihil nisi favum fuisse, quamquam negare nolumus una cum favo eruptiones scrophulosas adesse potuisse.

Primum menses apparuerunt aetatis anno duodevigesimo, nunquam vero certis spatiis recurrentes saepe perdiu intermittebant. Quo tempore summis molestiis se cruciatam fuisse aegrota affert, quales sunt, de favo pruritus vehemens, dolores capitis; ceterum prospera valetudo semper molestiis intestinorum impediebatur, crebro vomitu et continuo cibi fastidio. Tum anno vigesimo secundo medico se tradidit, ex qua therapia inflammatio et suppuratio totius capitis secutae sunt. Eventus acerbissimae curae infaustus fuit, favus rediit.

Anno vigesimo sexto, cum nuberet, etiam aversa pars

apitis jam morbo occupata erat, crines quotidie excide-
ant, quumque post annum peperisset, paene calva fuit.
'aulo post favus in aliis corporis regionibus inventus est,
t partim eodem tempore, partim postquam alteris locis
anatus fuit, favus laevam axillam, pectus, abdomen, coxas
t femora invasit.

Deinde nullis remediis abhibitis favus, qui per tricu-
ium duraverat post tertii infantis partum e toto corpore
ecessit, sed anno praeter lapso et caput et brachia et
emora denuo affecit. Circa annum 1857, aetatis anno
exto et trigesimo, aegrota iterum ad medicum se contulit,
uo hoc tantum efficit, ut per unum annum malis liberare-
ır. Una cum reditu favi inflammatio pulmonum aegrotam
ppressit, quae venae sectione tractata pneumonia crouposa
abenda est.

Initio mensis Januarii anni 1866 aegrota pneumonia
rouposa inferioris lobuli sinistri corripiebatur et dum in
oliclinico curabatur, singularis illa extensio favi pate-
acta est.

Status praesens de die vicesimo mensis Martii.

Posteriori morbo intercurrente vidua D. funditus levata
st, ipsa si animi depressionem, malis per tot annos to-
eratis, ortam negiglimus, prospera valetudine utitur. Cor-
us etiamsi non robustum, satis nutritum est, appetitus
onstans et somnus nocte doloribus non turbatus, quum
avus perraro valde eam vexet.

Quod ad favum attinet extensio ejus nunc haec est:

Caput, exceptis parvis partibus in cervice et in tem-
oribus totum fere calvum est; cutis crinibus privata, te-
era, translucens, auctam habet epidermidem, quae maximam

partem per squamas solvitur. Transverso capite in ante rioribus frontis ossibus marginem favi crustarum videmu latum $1-2\frac{1}{2}''$, quoque conjungitur in vertice situs cumulu materiae crustarum, hic flavus, subflavus illic fuscu magnitudine volae manus. Copiam crustarum minus cras sam et densam etiam in dextro osse parietali, in occipit usque tertiam colli vertebram minimeque saepe in osse pa rietali laevo invenimus.

Massae constant ex cavis crustis, qui patulae forma variamque habent magnitudinem, ab acus capite ad gros et confluentibus crustis compluribus duorum thalerorum.

In singularum crustarum medio in occipite crinis trun cus observatur longitudine $\frac{1}{2}''$ vel paucarum linearum. Mas sae ita se habent, ut partim cumulos partim maxime i anteriore parte formam gyratam efficiant et in cute immis sae videantur eamque in marginibus modo editis, qui in flammatis cutis vallis circumdati sunt, superent.

Majore confluentia patulae forma magis magisque per ditur et massae varium irregularemque aspectum praeben

Quod si jam in capite conspicitur tum maxime in alii corporis partibus. Praeter crustam sub umbilico magnitu dine volae manus etiam extremitates inferiores magnis favi efflorescentiis tectae observandae sunt.

Maximae longitudines et latitundines crustarum ha sunt:

	Longit.	—	Latitud.
In femore dextro			
in parte sup. ant.	5 C.	—	$4\frac{1}{2}$ C.
„ „ „ ext.	7 „	—	4 „
„ „ inferiore	5 „	—	$3\frac{1}{2}$ „

	Longit.	—	Latitud.
In femore sinistro			
in parte sup. ext.	5 C.	—	$3\frac{1}{2}$ C.
Supra patellam	8 „	—	7 „
a condylo ext. fem. usque ad part. sup. cruris	15 „	—	8 „

Denique facere non possumus, quin valde doleamus, quod aegrota difficilis contemptis omnibus admonitionibus, nostrae therapiae se tradere noluit.

VITA.

Natus sum Johannes Philippus Carolus Miche[illegible] anno hujus saeculi XLIII die I. mensis Septembris i[illegible] Rhenaniae urbe Stolberg, matre Sibylla e gente Cudell[illegible] quam fato valde praematuro mihi ereptam lugeo, patr[illegible] Philippo, quem superstitem pio gratoque animo venero[illegible] Fidei addictus sum catholicae. Primis litterarum elementi[illegible] domi imbutus gymnasium. Aquis granense per annos quin[illegible]que et menses sex frequentavi, illud gymnasium etiam nun[illegible] directore Schoen floret.

Maturitatis testimonium nactus auctumno anni LXI[illegible] Herbipolin me contuli, ubi a rectore magnifico Ill. We[illegible]gelin in civium academicorum numerum receptus et apu[illegible] decanum gratiosi medicorum ordinis nomen professus sum[illegible] Duobus post semestribus hanc Gryphiam litterarum seden[illegible] petii, sed tempore paschali anni LXV Herbipolin rever[illegible]sus sum unde post unum semestre, iterum almam litera[illegible]rum universitatem Gryphiswaldensem adii et Ill. Baum[illegible]

stark, rectore magnifico, Ill. Bardeleben t. t. decano spectatissimo medicorum ordini apscriptus sum.

Per Quattuor annos audivi disserentes:

Herbipoli.

Ill. Kölliker: de anatomia, de physiologia. Idem mihi dux fuit in excertitationibus cadavera rite dissecandi.

Beat. H. Müller: de histologia, de anatomia comparata, de osteologia.

Ill. Scherer; de chemia anorganica.

Beat. Förster: de historia medicina.

Exp. Dether: de akiurgia.

Ill. Scanzoni dux mihi fuit in clinico obstetricio.

Ill. de Wels dux mihi fuit in clinico ophthalmiatrico.

Ill. Geibel: de percussione et auscultatione.

Gryphiae.

Ill. Budge: de osteologia, syndesmologia, myologia, splanchnologia; de anatomia organorum sensuum; de physiologia experimentali, de physiologia organorum sensuum; idem dux mihi fuit in exercitationibus cadavera rite dissecandi.

Ill. Schultze: de angiologia et neurologia.

Ill. Limpricht: de chemia anorganica; idem mihi dux fuit in exercitationibus analyticis.

Ill. Grohe: de anatomia pathologica generali et speciali, eundem ducem habui in cursu anatomico pathologico.

Ill. Laurer: de materia medica, de arte formulas medicaminum rite concinnandi; de arte fascias chirurgicas rite alligandi.

Ill. de Feilitzsch: de physice experimentali.

Ill. Rühle: de pathologia et therapia speciali; de nervorum morbis.

Ill. Mosler: de pathologia et therapia speciali, de morbis renum, de psychiatria.

Ill. Pernice: de theoria artis obstetriciae; de morbis infantum; idem mihi dux fuit in clinico obstetricio.

Ill. Bardeleben: de chirurgia generali et speciali; de akiurgia, idem dux mihi fuit in operationibus chirurgicis in cadaveris instituendis atque in clinico ophthalmiatrico.

Exp. Landois: de corporis humani evolutionis historia.

Exp. Hertz: de anatomia microscopica.

Exp. Heineke: de morbis cutis; de fracturis et luxationibus; de morbis abdominis chirurgicis.

Exp. Schirmer: de ophthalmiatrice; idem dux mihi fuit in exercitationibus ophthalmoscopicis.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi, de politia medica.

Quibus viris optime de me meritis, gratias ago quam maximas semperque habebo.